

R E G V L A

Pono dotem esse 200 aureos; sic peculium erit 200 — 100 hoc est 100. facti autem é 200 per 200 & é 100 per 100 sunt 40000 & 10000. Præterea 40000 sunt 10000 + 30000. sed 30000 sunt 400 + 29600. ergo inventus 30000 dato cognito 400 major est. ergo per 10 p. positus numerus 200 vero numero major erit. cum igitur cum suo signo & collatorum differentia scribam sic

$$200 \quad + \quad 29600$$

Nunc duplum é 200 est 400. ergo denuó per 14 p. pono dotem esse 400 aureos; sic peculium erit 400 — 100 hoc est 300. facti autem é 400 per 400 & é 300 per 300 sunt 160000 & 90000. Præterea 160000 sunt 90000 + 70000. sed 70000 sunt 400 + 69600; ergo inventus 70000 dato cognito 400 major est. Ergo per 10 p. positus numerus 400 vero numero major erit. cum igitur cum suo signo & collatorum differentia primo subscribam sic

$$200 \quad + \quad 29600$$

$$400 \quad + \quad 69600$$

Iam ut 69600 — 29600 hoc est ut 40000 ad 29600 sic 200 est ad 148. ergo per 18 p. dos quaesita erit 200 — 148, hoc est 52 aurei. At 52 + 48 sunt 100. quare peculium erit 48 aurei, ideóque integrum peculium debetur doti: dos enim superat peculium aureis 100 ex thesi. Præterea dos & peculium in se ducta sunt 2704 & 2304: & deniq; ipsum 2704 est 2304 + 400, quod fuerat propositum. Quaestiones de sociorum nummis & de annorum numero supra ad decimam propositionem obiter propositas/ hoc loco integras explicabo.

Si meus socius mihi 30 nummos é suis donet, tum mea summa ad reliquam summam socii dupla futura est: si ipse socio 50 é meis nūmis donem, tum mea summa ad reliquam summam socii erit subtripla: utriusq; summa quaeritur. Pone